

PROGRAMMA
 AD EXSEQVIAS
 VIRI NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI
ATQVE EXCELLENTISSIMI
CHRISTOPHORI
JOH. CONRADI
ENGELBRECHT
 JVRIS CONSULTI
 ET IN ACADEMIA JULIA PROF. PVBL. ORD.
 CELEBERRIMI
 P. P.
 D. V. NOVEMBR. MDCCXXIV.

Helmstadt,
 TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,
 ACAD. TYPOGR.

H. Lit. part. 1755.

PROGRAMMA
AD EXEGE^{AS}
VIVI NOVITATI CONSULTISSIMI
TYPICAE ALEXANDRINISSIMI
CHRISTOPHORI
Joh. CORNADI
ENGBRECHT

JARIS CONSULTI
ET IN ACADEMIA VITI PROF. PAR. ORD.
CERTIFIRMATI
P. B.
D. N. NOVEMB. MDCCXXV.

Hildegard
T. L. P. A. D. I. L. T. R. C. S. C. H. N. O. R. R. I.
Acad. Typogr.

PRORECTOR ET SENATVS

ACADEMIÆ JVLIAE

CIVIBVS SVIS S

S. P. D.

Vum Reipublicæ literariæ & bonis arti-
bus nil æque noxiū sit, quam viris sub-
inde privari raris animi dotibus, fa-
cundiæ gloria & varia eruditione con-
spicuis; profecto non leve Juliæ nostræ inflictum
est vulnus in obitu Viri amplissimi & consultissimi
CHRISTOPHORI JOHANNIS CONRADI ENGEL-
BRECHTI, legum, dum viveret, Interpretis opti-
mi probatissimique, sed in ipso virilis ætatis flo-
re, rerumque præstantissimarum spe, præmatu-
ra morte proh dolor! extincti. Persuasum e-
nim erat cunctis, qui eundem noverant propi-
us, ejusque animi ornamenta perspecta satis ha-
bebant, fore, ut ad veterum aliquando JCTO-
rum gloriam adsurgeret, nec Scaevolis & Papi-
nianis, quos ingenii felicitate & judicij robore
æquare videbatur, magnopere esset inferior.

Quodsi vero virtuti celeberrimorum viro-

rum in hac Academia suus semper habitus est
 honos, eorumque memoriam post fata recolui-
 mus, & ad posteritatem transmisimus; jam quo-
 que partium nostrarum esse arbitramur, deside-
 ratissimi Collegæ hujus vitam, genus, sapienti-
 am & eruditionem justis ornare laudibus. Ita
 quidem primo constat inter omnes, ipsum ex
 illustri suisque in rempublicam meritis gravissi-
 ma Engelbrechtiorum gente duxisse originein.
 Anni, post instauratam per Christum salutem,
 millesimi sexcentesimi nonagesimi dies quartus
 & vigesimus mensis Septembris ipsi felici sidere
 fuit natalis. Patre usus est summa quondam no-
 minis celebritate eminenti viro, GEORGIO EN-
 GELBRECHT Archi-principi Brunsvicensium ac
 Luneburgensium a consiliis, Academiæ nostræ
 Seniore, Ordinisque iuridici Antecessore prima-
 rio, cuius de meritis, quoniam fere in vulgus no-
 ta sunt, tacere præstat, quam parum dicere. Ma-
 tre vero editus CATHARINA VLNERIA, omni vir-
 tatum genere Matrona ornatissima, quæ, quod
 vehementer dolemus, Filium suum hunc opti-
 mum, in cuius virtute ingravescens ipsius ætas
 placide hucusque potuit conquiescere, ad bea-
 tiores sedes, turbato mortalitatis ordine, præ-
 untem videt, nec nisi cum ingenti desiderio &
 multis cum lacrimis prosequitur. Ayum pater-
 num

num habuit Virum generosum per-illustrem atque excellentissimum ARNOLDVM ENGELBRECHT,
Dynastam non unius, sed clientelarum plurium,
Serenissimi Brunsvicensium ac Luneburgensium
Ducis Consiliarium sanctiorem & Cancellarium,
cujus solum nomen sufficienti potest esse encomio, cujusque vita integritatem & ingentia in
republicam merita omnes excipient anni con-
sequentes. Neque minore, si matrem species, ge-
neris floruit gloria, siquidem maternum ejus a-
vum fuisse scimus CHRISTOPHORVM HELFRICVM
VLNERVM, magni itidem nominis Virum, quem
Serenissimus Landgrafius Darmstatinus, ut virum
singularis eruditionis ac prudentiae, inter Aulæ
suæ Consiliarios quondam esse voluit, eique pri-
mariam Archivi sui concredidit curam. Hunc
illustris prosapiæ splendorem non parum auget
avia paterna ANNA, generoso Neeforum stem-
mate oriunda; nec non materna REGINA VRSU-
LA, quæ illustres suos natales Viro quondam ge-
nero per-illustri atque excellentissimo PHILIP-
PO LVDOVICO de FABRICE, Serenissimi Landgrafii
Hasso-Darmstatini Consilio intimo & Can-
cellario gravissimo, & per-illustri Matri, genera-
fa MINTINORVM stirpe prognatae, debuit. Quem-
admodum vero sumolas majorum suorum ima-
gines ostentasse, parum refert, nisi virtutis genti-

litiae æmulus, & non minus virtutum, quam sanguinis eorum heres fiat, ita Collega noster vel hoc nomine omni laude major est. Ut primum enim ætas disciplinæ capax erat, nil parentes optimi fecerunt reliqui, quod ad excitandos virtutis insitæ igniculos pertineret. Quapropter tales semper ipsi præfici curarunt præceptores domesticos, qui doctrina morumque ornamentis multis aliis præstarent, animumque Filii sui bonis literis & pietate probe imbuuerent. Quæ quidem educationis sollicitæ cura exoptatum habuit eventum. Ita enim repente profecit, eamque statim ingenii vim descendique cupiditatem ostendit, ut in speim adducerentur omnes, eum talem aliquando futurum, qualem deinde cognitum judicavimus. At vero, ut sunt humana omnia vehementer lubrica, medium hunc Collegæ nostri studiorum juvenilium cursum interpellavit quodammodo anno MDCCV. acerbissimus carissimi parentis obitus, qui ipsum in sinu hucusque foverat, & saluberrimis præceptis studia ejus rexerat. Vehementius vero casus iste nostrum adfixisset, nisi in Patris locum illico successisset Frater primogenitus GEORGIVS ENGELBRECHT, Vir avitis paternisque virtutibus simillimus, ingenii ac studiorum dotibus eminentissimus seculi sui, celeberrimus quondam Academiæ nostræ

stræ Antecessor, nunc summi Appellationum
 Tribunalis, quod Cellis est, Consiliarius meritissi-
 mus, sub cuius duetu & moderamine ita porro
 incubuit in literas, ut annum agens sextum &
 decimum in nostrum civium academicorum
 mitteretur album. Ex quo quidem tempore ad
 jurisprudentiæ studium eo incubuit ardore, ut
 multis commilitonibus exemplo esset, pluribus
 admirationi. Neque ad hæc graviora studia il-
 lotis, quod ajunt, manibus accessit, sed humani-
 tatis studiis, quæ multi adventitii in Academiis
 strenue ignorare solent, & philosophiæ in primis
 practicæ & exemplaris, id est, Historiæ cogni-
 tione probe munitus; unde nec mirari oportet,
 illum deinceps adeo celeriter in intimos juris-
 prudentiæ penetrasse recessus. Solidæ autem suæ
 eruditionis non minimam partem viris in omni
 doctrinæ genere plane eximiis, quos hic Docto-
 res nactus, attribuit. Fatendum tamen, lucubra-
 tiones & assiduas in studiis vigilias, quas animi
 sui delicias vocare solebat, præcipuum rei addi-
 disse momentum. Et cum pro comperto haberet,
 mortalibus incumbere, ut animi dotes in reipubl.
 salutem publicæ exponant luci, themata de pœna
 temere litigantium, de officio judicis & de publi-
 cis judiciis unde viginti annos natus, illustri Fra-
 tre Præside, contra securi sentientium argumenta-
 tatio-

tiones magna cum ~~præpnoſta~~, applaudentibus cunctis, tuitus est. Quumque etiam haberet satis superque cognitum, boni & æqui artem præter præceptiones quasdam & theorematum universalia, quibus ad judicandum præparamur, usum & applicationem universalium ad singularia requiri, mature statim docendi muneri & forensibus causis operam navare cœpit, sic ut nihil omitteret, quod vel ad magni ingenii cultum, vel ad laudem & celebritatem nominis comparandam ficeret. Quo etiam referendum putamus, quod celebriora Germaniæ loca altero Fratre, qui in summo Appellationum judicio, quod Cellas illustrat, Protonotarii munere fungitur dignissime, comite, perlustrare statuerit. Quamvis enim itineribus in peregrinas terras sua haud usque quaque desint commoda; satius tamen desideratissimo Collegæ nostro visum, res patriæ publicas & privatas scrutari, & cum viris notitia earum adfusatim imbutis colloqui, quam conferre se ad exterros. Experientia namque constat, peregrinationibus ejusmodi præter nummorum penuriam, rerum patriarchum ignorantiam, & gentis nostræ contemptum nihil propemodum in Germaniam nostram plerumque redundare. Huic ergo itineri, quo se alacriori accingeret animo, inductus præsertim fuit electione & corona-

ronatione Imperatoris, quæ tunc temporis Fran-
cofurti imminebat; nec tam ut rituum solenni-
tatumque spectator esset, quam ut in publica ne-
gotia, quorum noscendorum summa flagrabat
cupiditate, viris summis ibi congregatis adjuvan-
tibus, penitus penetraret. Nec spes fecellit ipsum:
ad lares enim per-illustris S C H R A D E R I, potentissimi
tunc temporis Brunsvicensium ac Luneburgensium Electoris Consiliarii sanctioris & alteri
ablegati admislus, a tanto Viro, vitæ negotiali
rebusque publicis tot annos addicto, nec le-
via, nec pauca ad res Imperii nostri spectantia
hausit, eique se comitis & modestis moribus,
eruditione egregia, ingenii acumine, & quod
primo loco nominandum erat, judicio subacto
ita probavit, ut ipso pariter atque avunculo V L-
N E R O, Nassavio Weilburgico ibi Oratore mo-
nentibus, anno insequenti Ratisbonam versus
iter fusciperet. In illo enim negotiorum Ger-
manicorum larario, & tot splendidissimorum
excellentissimorumque virorum hospitio, ad
Imperii comitia constituenda inclyto, juris pu-
blici studio ultimam manum addendam esse ar-
bitrabatur. Quod quidem felici haud caruit
succesu, præsertim quum perspicax Schraderus
adesset, & amico sermone explicaret ipsi omnia
uberius, totque spectatissimorum virorum ibi

B

com-

commorantium conversatio magnum insuper
adferret adjumentum. Nunquam gratiam &
beneficia in ædibus Schraderianis tunc tempo-
ris per semestre & quod excurrit, spatium sibi
fratrique exhibita satis celebrare potuit, ut gra-
tum inde ejus cognoscas animum. Hinc vero
ob adventantis pestilentiae metum pedem refer-
re coactus, illustrem Schraderum suum Augu-
stain Vindelicorum sequi, imo præire, ibique
adhuc ex ore ejus pendere, decrevit. At vero
heic expertus est, quam irrita saepe hominum
fiant consilia. Adventum enim magni hujus
Viri præstolans, nuntium accepit, illum in itine-
re exspirasse. Quantam ex morte hac inopina-
ta contraxerit tristitiam, dici non potest. Hanc
vero ut levaret quodammodo, Viennam abire
voluit, ut judicii ibidem aulici formam & mo-
dum coram observare posset. Ast fama percre-
bescente, ipsam metropolin hanc Imperatoriam
pariter gravi conflictari lue, matris jussu pena-
tes repetere, consultum putavit. Redux ergo
inde, nihil prius, nihil antiquius putavit, quam
academicam erudire juventutem, prælectioni-
busque suis omnium animos in suam rapuit
admirationem. Lucubrationibus insuper do-
ctissimis evulgandis intentus, primum earum
specimen pereruditum de servitutibus juris pu-
blici

blici tractatum extare voluit, qui eo majoribus,
& quidem debitissimis virorum in laude viventium
elogiis est celebratus, quo minori cura amplissi-
mum hoc argumentum ab aliis pertractatum
fuerat. Merita hæc insignia etiam ad Augustos
Iuliæ nostræ Nutritios, Summorum in primis Mi-
nistrorum suffragio, perlata sunt, quo factum,
ut publicam legum anno cl̄ locc xv. extra or-
dinem adipisceretur cathedram, & biennio præ-
terlapso ordinariorum etiam JCtorum Ordini
adscriberetur. Summa fide munere hoc suo per-
functum esse, loquuntur tot auditores, qui scho-
las ejus frequentarunt, & tot summæ eruditio-
nis monumenta, quæ hic, quotquot eorum ty-
pis sunt evulgata, commemoranda duximus.
Sunt autem illa:

De Seruitutibus iuris publici commentatio.

De iniusta asylorum immunitatisque ecclesiarum ad cri-
mina dolosa extensione.

Commentarius de utilitate atque necessitate studii iuris
germanici.

De fatis iurisprudentiae iustitiaeque administrationis in
Germania.

De genuinis decisionum iuris fontibus in terris Bruns-
v. Luneburgicis.

Examen distinctionis vulgaris inter theoriam, seu ut ple-
rumque dici solet, punctum iuris & hodiernam praxin.

Dissertatio de caussis impediti hactenus felicis successus
tentatæ in Germania emendationis & administratio-
nis iustitiae. & reliqua.

In elaborandis iis, quæ ab ordine juridico ipsi expedienda comitcebantur, singularem adhibuit curam & diligentiam. Commendabant in primis se nobis impense meletemata ejus, non tantum ob singularem stili elegantiam, quæ non anxie conquisita in eo, aut affectata erat, sed naturali quadam pulchritudine exsurgens; verum etiam ob præclaram juris notitiam, quam indies, detrahens saepe sanitati nocturnis vigiliis, in Academiæ hujus præcipue emolumentum, augere, in præcipuo habuit negotio. Hanc ipsius magnam industriam insignis quædam apud omnes est consecuta existimatio, ut viris etiam illustribus privato nomine ipsum subinde consulentibus responsa dare rogatus sit. Neque inde mirum cuiquam videri debet, ipsum postea ab omnibus in magno honore habitum, & effecisse simul, ut haud minus doctrinæ studio, virtute ac moribus suis, quam generis nobilitate dignitateque celebris, ad gravissimum Consiliarii justitiæ munus suscipiendum appeteretur, in quo tamen gloriæ limine & ipso magno fortunæ aditu nuper occubuit, mœrente honorum omnium & literatorum cœtu, qui tot felicioris ingenii fœtus, ad jus germanicum præsertim Brunsvicense spectantes, & alia divinæ mentis monumenta cum ipso sepelienda ægre ferunt, nisi Cognitorum bene-

volentia quædam eorum in publicum aliquando sint proditura. Quod tandem ad vitam & mores pie defuncti Collegæ nostri attinet, semper ob oculos habuit, nihil mortales sine Dei immortalis ope auspicari posse. Idcirco justitiam ac religionem inter ceteras virtutes singulari studio coluit, nihil magis in votis habens, dum rebus mortalium interfuit, quam ut convenienter naturæ, ejusque auctori Deo, convenienter sanæ rationi, natusque ex ea, & in sacra scriptura toties in hominum salutem repetitis legibus vitam institueret. Divinis oraculis, quæ publico ministrorum Ecclesiæ ore panduntur, adfuit, non ut parcus sacrorum cultor & infrequens, sed fuit auditor sedulus & pius, sacræ cœnæ usu subinde refectus, Deo se totum permisit, quo cum & ejus sapientia, religiosis & curatis precibus intentus, quotidianum habuit commercium. Matrem nunc mœstissimam reverenter semper, & necessitudine sibi conjunctos comiter habuit. Nemini gravis, paucis familiaris, omnibus amicus, officiosus in quosvis, prudentiæ & pietatis laudem apud omnes meruit. In quovis negotio & omni vitæ actu virilem gravitatem cum humanitate temperabat: nil immaturum in ipso præter obitum. De hoc adhuc quædam monenda sunt, tanquam de ultimo vitæ actu, a quo

sicuti in fabulis fit, priorum pretium ac bonitas suspenditur. Nihil magis Nostro optandum erat, quam corpus validum, sanitas perennis, ac longissimæ vitæ usura, quo Deo & patriæ diutissime inservire potuisset. Sed supremo Numini vitæ necisque arbitrio, aliter visum, qui illum a prima ferme ætate affecta valetudine & debili corpore esse voluit, in quo mens candida resideret & præclara. Auxit etiam procul dubio hunc corporis habitum infirmum continuus labor, & iterata toties lueubratio, quæ vires etiam integras frangere & robustiora alias corpora prosternere solet. Hæc virium ipsius sanguinisque & naturalis vigoris debilitas ab aliquot retro annis non parum aucta est, posteaquam laborare coepisset aspera tussi, quæ pulmone in phthisin quassit, & nulla medicamentorum vi expugnari potuit. Huic aceedebat, quod languenti esset & imbecillo stomacho, saepe que acerbissimi ipsum magis adhuc debilitarent dolores. Neque id mali probatissimis etiam medicaminibus & aquis Selzensium salubribus expelli quivit, sed indies cepit incrementa. Imo vehementius vis illa mali incaluit, cum verno anni jam vergentis tempore febris continua, comitem sociumque habens ingentem dolorem, illum occuparet. Verum hæc divina favente gratia

*) *)

tia Medici ope sublata est, ita ut ad consuetos redire potuerit labores, auditorum spes ac vota impleturus. Ast recruduit praeterita nuper aestate morbus, & vires novas ab ipsis induciis sumvit. Cumque medicamenta adhibita efficacitate sua se commendarent, id, quod supererat, mali, itinere aliquo & jucundiori aere lenire, imo adhibitis Selzanis aquis emoliri, animum induxit. Atque hunc ob finem ad fratrem summi Appellationum judicii, quod Cellis est, Protonotarium, jam Cæsareæ Commissioni, quæ res Meilenburgicas componere satagit, operam narrantem, contendit. Verum haustæ ibi aquæ tussum & alias corporis infirmitates corrigere haud valuerunt, sed iis junctos nonnunquam horrores persensit febribus. Quæ mala coadunata in perfectam tandem phthisis, calorem febrilem, diarrhoeam colliquativam, & tumorem pedium defiere, ipsumque ex itinere reversum, praeterlapsi modo mensis Octobris nono die, lecto adfixerunt. Quamvis itaque, curante celeberrimo Meibomio, Archiatro Guelphico & Medicorum Ordinis in hac Academia Seniore, efficacissima adhibita sint remedia, nihilominus vires paulatim deficere cœperunt. Cumque ENGELBRECHTVS nostras morbi pervicaciam sentiret, animum ad preces & divinas meditationes convertit, de ani-

mæ salute tantum solitus, quoniam de corpore
 jam conclamatum esset. Et ut mature satis ex-
 tremi itineris instrueretur viatico, ex manibus
 reverendi Ecclesiae Antistitis Doctoris Henningi
 sacram sumxit Synaxin. Quo religiosissimo ab-
 soluto negotio, increscente deinceps ægritudi-
 ne, humana quæque sprevit Collega desideratis-
 simus, & non nisi divinis intentus, sacram scri-
 pturam sibi prælegi, & devotas preces recitari
 jussit, nec ipse ardentissimas fundere destitit,
 nil nisi beatum ex hac vita excecum anhelans, &
 abitum ad patriam meliorem. Voti eum com-
 potem fecit benignum Numen. Præteriti enim
 mensis octobr. die vigesimo hora decima ante-
 meridiana inter adstantium preces placide ob-
 dormivit, vitamque posuit, quam ad quar-
 tum annum tres hebdomadas & quinque dies su-
 pra trigesimum duxerat. Vos vero, Cives opti-
 mi, monitos rogatosque volo, ut pie defuncti
 Professoris ENGBRECHTI exsequias frequenti
 cœtu cohonestare, & hoc modo ultimum ipsi
 humanitatis officium exhibere velitis. P. P. in
 Academia Julia d. 5. Novembr.
 clcccxxiv.

© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2011



QPCARD 201

